

G. 176.

ARGVMENTORVM ALIQVOT IN PLATONIS
PHAEDONE DE ANIMI IMMORTALITATE
ILLVSTRATIO ET DISCVSSIO

QVA
A D
ORATIVNCV LAS VI

IN
SCHOLA ANNAEMONTANA

D. XXV. OCTOBR. CIO IO CC LXV

BENEVOLE AVDIENDAS
BONARVM LITTERARVM FAVTORES

HVMANISSIME INVITAT

M. IO. CHRISTOPH. GOTTLER

SCH. RECT. ET SOCIETATT. TEVT. ET LAT. ALTORF. SODAL. HONORAB



ANNABERGAE
EX OFFICINA AVG. VALENT. FRISII

Lit. Graec.

B.

2062,44

INSTITUT FÜR ANATOMIE UND PHYSIOLOGIE
DER UNIVERSITÄT ZÜRICH

VERGLEICHENDE ANATOMIE

1871

ON THE ANATOMY OF THE
MOUTH OF THE

DOG (CANIS DOMESTICUS)

BY
DR. J. J. VAN DER WOUDE

AMSTERDAM: H. N. SIMONSON, 1871

IN 10 HILFEN

DEUTSCHE VERLAGS-ANSTALT FÜR LEHRBÜCHER
UND ZUSATZLICHE LITERATUR FÜR
DIE UNIVERSITÄTEN, LEIPZIG

1871

AMSTERDAM

EX OFFICINA A. D. VAN DER WOUDE



Quum animus nulla re magis alatur atque delectetur quam philosophia, cum veteri tum recentiori paullo accuratius cognoscenda, & praecipue ea, quae nos moratos, itaque animo & vita constitutos reddit, ut ratio postulat: profecto ii, qui litteris bonis vacant & aliquando nomen eruditi tueri volunt, operae pretium ducant, in eam diuinam disciplinam sic incumbere, ut non modo vni alterique doctori dent operam, suamque scientiam, ediscendo aliquo compendio, omnibus numeris absolutam credant, biennio, si diis placet, elapso; sed legendis veterum philosophorum egregiis libris, sententiis pulcherrimis animo impressis, subtilitatem & elegantiam disputandi ab iis discant, & an verum cognouerint nec ne, inuestigent. Qui enim in verba magistri sui iurant, aliosque, a se dissentientes spernunt, parum mihi sapere videntur: tam angustis limitibus cognitio diuinarum humanarumque rerum non circumscribi, sed iudicium, cognoscendis diiudicandisque principum philosophorum sententiis, subigi debet. Tenenda sunt hac in disciplina cognoscenda, quae apud Ciceronem, de inuent. L. II. c. 2. leguntur: „*Quod si in caeteris quoque studiis a multis eligere homines commodissimum quodque, quam*



„fese vni alicui certo vellent addicere, minus in arrogantia offenderent;
 „non tantopere in vitiis perseverarent: aliquanto leuius ex inscientia la-
 „borarent.“ Nihil sane iucundius est, quam recens inuenta phi-
 losophorum, vt quidem haberi volunt, etsi non tam subtiliter,
 at populariter tamen, in veterum libris deprehendere, quae,
 vt opinor, non parum ad animum nostrum confirmandum confe-
 runt eatenus, vt, philosophiam communem, non vni loco docto-
 rique adstrictam esse intelligamus, sed vbiuis locorum & gentium
 inueniri: vt de vtilitate, e rebus maximi momenti subtiliter ex-
 plicatis, capienda, taceam. Etenim non modo ingenium elegan-
 tiae & in philosophicis rebus assuescit, cuius plerique nostrorum
 philosophorum expertes sunt, vt eorum libelli fatis superque
 probant; sed & cognitione vtilissimarum rerum ditatur, & ad in-
 uestigandum verum acuitur. Etsi non is ego sum, qui nil, nisi
 a graecis latinisque dictum probet, vt sunt, qui stulte id faciant;
 id tamen mihi aliquo vsu & consuetudine, cum veteribus contra-
 cta, didicisse videor, philosophiae studium non audiendis do-
 ctoribus recentioribus finiendum esse, vel propterea, vt, quid
 veteres de hac vel illa re statuerint, scias, idque in interpretandis
 graecorum latinorumque scriptorum locis adhibere possis, vel
 vbi a nostris hominibus discesserint, vel a vero aberrauerint, in-
 genium tuum agas, & omnino, quales res, & quomodo cognoue-
 rint, habeas perspectum. Quae vtilitas multiplex ex *Platonis*
 libris, vt reliquos Socraticos philosophos taceam, quum inprimis
 capi possit; & me impulit, vt ex *Phaedone*, praeclarissima de ani-
 mo institutione, scribendi materiam desumerem. Hic dialogus
 non modo propter rerum grauitatem paullo intelligentioribus
 omni tempore probatus est, sed & multis difficultatibus, quae e
 rebus maxime oriuntur, laborat, quae tirones, hisce intricatis ar-
 gumentationibus nondum adsuetos, ab eius lectione facile arcere
 possunt. Quare aliquot argumenta, pro animi immortalitate, in
 gratiam disciplinae meae alumnorum, quibus quosdam *Platonis*
 dialogos interpretari constitui, illustrare atque examinare tenta-
 bo, vt, quam late in hac quaestione indaganda veterum patuerit
 ratio, intelligi possit.

Anti-



Antiquissimi philosophi, etsi luce divina non collustrati, tamen id intelligebant, omnem religionem virtutemque, immortalitate animi niti, omnemque cultum paullo humaniorem tolli, nisi demonstrare possent, futura esse bene & male actae vitae praemia & poenas. Quod eo facilius facere poterant, quod huius quaestionis cognitio & niteretur κοινᾷς ἐννοίαις, & innata, animoque indita iure dici posset. Apud antiquissimos scriptores, veluti *Homerum*, & *Orpheum*, huius rei vestigia apparent; quorum ille fabula de campis Elysiis *Odyss.* δ. 563. sq. Orco, quem αἶδην vocat, in quo *Tantalus*, *Sisyphus*, aliique poenas dant, vt alia loca praetermittam, fatis docuit, post mortem futuram esse aliam vitam: hic autem *Platoni*, fuit auctor locupletissimus; vnde & ad instituta & disciplinam eius plurimis locis allusit, vt *Olympiodori* Commentarii notant: v. c. ad *Segm.* XIII. *Phaed.* παρωδεῖ πανλαχῆ γὰρ τὰ τῆ Ὀρφέως, διὸ καὶ εἶχον αὐτῆ φησιν — & ad *Segm.* XVI. ej. *Phaed.* πανλαχῆ γὰρ ὁ πλατων παρωδεῖ τὰ τῆ Ὀρφέως. Quibus ex locis intelligi potest, quanta celebritate instituta *Orphei* de religione fuerint; parumque refert, vtrum *Onomacritus* an *Pythagoras* ipse, siue doctrinae Pythagoricae aemulus, ea quae extant, scripserit. Etsi concedamus, eius carmina non eum, qui ante *Homerum* vixisse fertur, habere auctorem, qui secundum *Aristotelem* nunquam fuit; (*Cicer.* nat. Deot. I, 38.) antiquissima tamen, & magni aestimata sunt a *Pythagora*, eiusque sequacibus, inter quos *Platonem* & fuisse, *Cic.* *Tusc.* Qu. I, 17. nemo ignorat. (v. praeter *Fabric.* B. G. I, XIX, & II. XIII. p. 515. *Gesnerum*, τὸν μακαρίτην, in *Prolegom. Orpbic.*) Sed quorsum haec disputamus? Vt intelligatur, plurima *Platonis* placita sapere disciplinam Pythagoricam; vt *Aristoteles* I, *Met.* VI. tradit: *Platonis* enim philosophiam τὰ πολλὰ τοῖς πυθαγορείοις δόγμασιν ἀκολούθησαν, vocat; idemque *Laert.* III. 8. & *Apulei.* *Florid.* III. extr. p. 232. & de *dogm. Plat.* 257. ed. *Colu.* notarunt. Et inde luce aliqua, argumenta pro immortalitate animi perfundi posse, quis non videt?

Antequam autem ad ipsa argumenta discutienda veniamus, age animaduersiones aliquas de ipsa argumentorum Socraticorum



ratione & vi praemittamus. Primum Socrates Platonicus quidem vere intellexisse videtur, animos esse immortales, vt ex tam multis disputationibus, & ex ipsa huius rei anticipatione siue praenotione, quam & indocti habent, nedum philosophi, facile apparet; attamen palam profitetur, certam demonstrationem in praesenti vita afferri, vel plane non posse, vel difficillime, *εἰ μή τις δύνασθαι ἀσφαλέστερον, καὶ ἀκινδυνότερον ἐπὶ β-βασιόεσσ ὀχλήματος, ἢ λόγῳ θεῶν τινὸς διαπορευθῆναι* (in *Phaed.* Segm. 36. p. 164. & 65. ed. *Fisch.*) Quos scrupulos, & Cicero passim sibi mouet in *Quaest. Tusc.* & in extr. *Catonis*: „*Nihil ultra quo progrediatur habere, quam verisimilia & coniecturas.* Quae fluctuatio veteris & nouae Academiae & Stoicos mouere potuit, vt perabsurdam de animi immortalitate opinionem habuerint, illum, cum e corpore excesserit, manere, sed non semper: (*Tusc. Quaest. I, 32.*) quos, praeter *Ciceronem*, aliosque, ex recentioribus, diuinus *Youngius*, in praecelaro immortalitatis animi monumento, Nocte VII. v. 562. neruose notauit. Deinde argumenta Platonis falsis quibusdam opinionibus siue principiis nituntur, quo referam illud: animos, antequam cum corporibus coniungerentur, fuisse (v. Segm. XXV. extr. p. 146. & alibi) quae sententia sine dubio e Pythagorica ratione ducta est: Pythagoras enim, vt notissimum est, iactitabat, se, temporibus belli Troiani Euphorbum Panthoi filium fuisse, vt innuit *Horatius* in illis: (*Carm. I, Od. 9. &c.*)

— — *habentque*
Tartara Panthoidem iterum Orco,
Demissum: quamuis clypeo Troiana refixo
Tempora testatus — —

Vide, sis, *Lambin.* notam, quae plura de hoc errore Pythagorico, dabit. Non minus probanda est illa sententia, animum in corpore inclusum, ideoque corpus carcerem animi, animumque tum, cum omni admixtione corporis liberaretur, purum ac integrum esse (v. S. XXVII. p. 153.) Multa quidem, his dictis insunt praeclara, vc, sapientem non debere pati, animum a libidinibus
corporis



corpóris abripi, & multa alia; sed non pauca egregie dictis falsa admixta sunt, quorum confutationem praetermittimus. Quae de conditione & statu animorum post mortem refert, ea sunt sane eiusmodi, vt fabulas sapiant, Poetarumque fictionibus similia esse videantur. v. *Segm. 31. Phaed.* Denique in deligendis argumentis videtur parum curiosus fuisse: argumenta, maximi momenti, quin certissima, parum copiose, vt reliqua, quae intricata subtilitate vestita sunt, explicauit & illustravit: et dissentientes in hoc dialogo v. g. *Simmiás, Cebes*, probabiliter nos in eam adducunt sententiam, *Platonem* ex eorum dubitationibus, argutias dictorum suorum intellexisse. Argumenta, quae in priori dialogi parte proposuit, vt deinceps videbimus, etiam illud, quod ex simplicitate animi ductum est, non tam certa & indubia sunt, vt multi vulgo opinantur: vt praeclare monet, *SVMME VENER. CRVSIVS*, *Praeceptor noster quondam fideliss.* (phil. moral. Seg. 221.) & nuper *Cl. Waldin*, in commentat. qua docuit, rationibus philosophicis reditum corporum in vitam intelligi posse, S. X. Ex simplicitate euinci tantummodo potest, animum corruptionis esse expertem, non autem immortalem, vita enim animi post mortem a sola benignitate, sanctitate & iustitia pendet. Sed de hac re plura disputare hoc loco superfedemus: illud modo addamus, *Platonem* argumenta, quae ex proprietatibus diuinis, & ex appetitionibus quibusdam nobilissimis, quae nunquam satiari possunt in hac vita, deriuantur, iusto breuius, proposuisse. Adferri sane possent loca, e quibus appareat, *Platoni* non ignotas fuisse eiusmodi notiones communes; sed, quod breues esse volumus, vnum alterumque modo laudasse, sufficiat. *Segm. LVII. Phaed. p. 204.* dicit: *εἰ μὲν γὰρ ἦν ὁ θάνατος ἢ παντὸς ἀπαλλαγὴ, ἔρμαιον ἂν ἦν τοῖς κακοῖς ἀποθανῆσι, ἢ ἢ τοῦ σώματος ἅμα ἀπηλλάχθαι, καὶ τῆς αὐτῶν κακίας, μετὰ τῆς ψυχῆς &c.* Nonne his verbis docuit, manere impios poenas, quas vero, nisi animus post mortem supersit, non subituri sint necesse est? Vi itaque iustitiae diuinae animaduersa, *Plato*, necessario iudicium aliquod bene & malefactorum futurum esse, intellexit, quod in sequentibus clarius enun-

enun-



enuntiauit his verbis: ὡς τελευτήσαντα ἕκαστον ὁ ἕκαστος δαίμων —
 ἄγειν ἐπιχειρεῖ, εἰς δὴ ἵνα ἵκοντο, οἱ δὲ ἵς ξυλλεγένης διαδι-
 κασαμένους εἰς ἄδης πορεύεσθαι — Illud argumentum autem, ab
 appetitionibus paullo nobilioribus, in altera vita demum fatian-
 dis, desumptum, passim, sed non tam copiose vt caetera tractat.
 Trahere huc velim illa loca, in quibus de illa felicitate, ex con-
 suetudine & familiaritate, cum sanctissimis hominibus percipien-
 da, loquitur: veluti in *Apolog.* S. XXXII. quem locum verbis *Cice-*
ronis, qui illum conuertit, *Tusc. Qu. I, 41.* hic scripsi: „*Sin vera*
sunt quae dicuntur, migrationem esse mortem, in eas oras, quas qui e vi-
ta excefferunt, incolunt: id multo iam beatius est, te, cum ab iis qui se
judicum numero haberi volunt, euaseris, ad eos venire qui vere Iudices
appellentur, Minoem, Rhadamantbum, Aeacum, Triptole mum: conuenire-
que eos, qui iuste & cum fide vixerint — vt vero colloqui cum Orphea, Mu-
faeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis. „ Quibus
 verbis summum desiderium verae ac stabili felicitatis, in hac vi-
 ta variis incommodis interceptae, in altera vero consummandae,
 cf. S. XII. 126. πολλὴ ἐλπίς &c. nec non summa cupiditas per-
 fectae & absolutae cognitionis, in colloquiis cum Orphea, Mu-
 faeo, consequendae, continetur, quod & clarius *Segm. XIII. innuit,*
 quum gaudet, quod dilucidius omnia sit intellecturus p. 132. Haec
 argumenta esse verissima &, quae copiosissime exponantur, dignis-
 sima, & rei ratio docet, & intelligi etiam potest ex loco laudato
phil. mor. Ven. Crusii & additam. Ebert. ad VII. Noct. Youngii p. 260.
 In nonnullis de immortalitate animi dictis tandem *Plato*, superbia
 & ambitione ductus, videtur hanc quaestionem tam acriter de-
 fendisse. Philosophis enim tantum laudis tribuit, vt integros,
 scelerisque puros putet v. c. *Segm. 32. Phaed. 159. οἱ ὁρθῶς Φι-*
λόσοφοι, ἀπέχοντα ἵων κατὰ τὸ σῶμα ἐπιθυμιῶν &c. iisque solis
 locum in concilio Deorum concedat; vt paullo ante hanc prae-
 stantiam iis asserit: quum contra, & temperantes & iustos, qui
 ἀνευ φιλοσοφίας καὶ νόου sed consuetudine, has virtutes consecu-
 ti fuerint, redire iubeat in mansuetum genus vel apum, vel ve-
 sparum &c. Hic iterum incidit in errorem Pythagoricum de

παλιγ-



παλιγγενεσία & μεμεψυχώσει; & quanto sublimius ferebatur *Plato* quasi in auras, tanto profundius nunc cadit, & amore somniorum Pythagoricorum, a vero aberrat. *Cicero* quidem aequior est *Platone*; ille enim omnibus, qui patriam conseruarint, adiuuerint, auxerint, certum in coelo definitum locum, vbi beati aeuo sempiterno fruuntur, assignat: (*Somnia Scip. III.*) hic autem solos philosophos, hoc honore dignos putat. In eo autem & errat *Cicero*, cum Platonis & Stoicis, vt humanam naturam pluris, quam fas est, faciat. „*Deum te igitur scito esse — in Somn. Scip. VIII.* E quibus intelligi posse puto, philosophos, vanitate & superbia deceptos, sibi maximam, aliis vero admodum paruum praestantiam post mortem tribuisse. Haec exprobrauit & philosophis veteribus, *Bolingbroke*, sed non ex bona fide: sententiam enim de animi simplicitate & immortalitate, originem suam superbiae humanae debere, tradit; sed, abducendo homines a nimia vanitate, dolo malo omnem religionem funditus euertere conatur, vt scite adnotauit *Ebert. V. C. ad Noct. IV. p. 379.*

Sed age nunc ad propositum veniamus, & potissimam huius dialogi partem quatenus ad rem nostram facit, ordine persequamur. *Socrates* cum amicis suis in carcere paullo ante mortem de rebus grauisissimis differens, inprimis profitetur, se nihil minus quam mortem timere; se sperare enim, fore, vt ad Deos, aliosque viros sanctos sit venturus, (*S. VIII.*) vt & in *Apologia* & *Critone*, sic loquens inducitur. Docet deinde, totam philosophi vitam, debere commentationem mortis esse; (*S. XII.*) eiusque animum, in corpore inclusum, semper eminere debere foras, & quam maxime se a corpore abstrahere, nec dedere se voluptatibus, iisque obedire: ne autem animus, earum quasi ministrum se praebet, philosophiam dicit λύειν τὴν ψυχὴν, (*Seg. IX, & XXXIII, & XXXIV.*) i. e. efficere & docere, quomodo mentem a contagione corporis seuocemus, ne, perturbationibus paullo vehementioribus abrepta, veluti voluptate, moerore, se corpori quasi emancipet, quibus ψυχὴν καταδειξάαι ὑπὸ σώματος (*S. XXXIII.*) ait: ὅτι ἐκάστη ἡδονὴ καὶ λύπη ὥσπερ

b

ὥσπερ



ὡσπερ ἦλον ἔχουσα, προσηλθὶ αὐτὴν, πρὸς τὸ σῶμα, καὶ προσπέ-
 ρονᾷ. Illa igitur λύσις s. solutio continetur praecipue in abstra-
 ctione animi a corpore, vt Plato se ipse explicat S. IX. ὁ φιλόσο-
 φος ἀπολύων ὅτι μάλιστα τὴν ψυχὴν, ἀπὸ τῆς τῆς σώματος κοινωνί-
 ας. — Haec praeclare quidem ex parte, quum dicit, philo-
 sophi animum a perturbationibus liberum c. X, 123. & ψυχὴν
 καθ' αὐτὴν esse, nec corpori, eiusque voluptatibus dedere se
 debere; sed, quod simul contendit, σκέψιν δι' ὀμμάτων καὶ διὰ
 τῶν ὠτῶν καὶ τῶν ἄλλων αἰσθήσεων μεσὴν ἀπάτης esse, S. XXXIII.
 p. 170. ideoque sensus fallere; animumque, liberatum vinculis
 corporis, tum demum maxime idoneum esse inuestigando ve-
 ro; minime probandum est. Id enim demonstrandum erat ratio-
 nibus firmis atque idoneis, animum, amisso corpore, feliciorē
 esse: mors profecto humanae naturae non est propria, quod eam
 naturaliter auersamur, etsi sanctus homo in beneficii loco eam
 ponat: philosopho saltem cum omni acie mentis suae, non cer-
 to constare potest, animum a corpore seiunctum, notiones cla-
 ras distinctasque habere posse. Sed haec complexio necessario ex
 errore, corpus animi carcerem esse, emanabat. Quibus disputa-
 tatis, Socrates laetitiam, ex sermonibus optimorum hominum
 post mortem capiendam, prodit; cuius dicta interpellans *Cebes*, an
 animus post mortem vivat, dubitat: verisimilius enim esse, ait, il-
 lum dissipari & in nihilum redigi. Nunc orditur Socrates disputa-
 tionem a traditione, siue fabula antiqua, quam, auctore *Olympiodoro*,
 ad S. XV. *Orpheo* acceptam refert, cuius etiam versiculos laudat:
 animos, migrantes εἰς ἄδης reuerti, vnde viuentes ex mortuis effici
 colligit. Quod vt demonstraret; inductione, vt solet, vtitur Socrates:
 (*Cic. de inuent. l. 31. & Olymp. S. XV. p. 115.*) omnia contraria fieri
 ex contrariis, v. c. maius ex minori effici; pluribusque exemplis idem
 euincere tentat. Quibus praemisissis, pergit, re paullo altius repe-
 tita, medium quoddam inter duo disiuncta inuestigare: duas γενέ-
 σεις ἀπὸ μὲν τῆς ἑτέρας ἐπὶ τὸ ἕτερον, ἀπὸ δ' αὖ ἑτέρας πάλιν ἐπὶ τὸ
 ἕτερον, esse dicit, i. e. quomodo & qua ratione vnum gignat al-
 terum. Exempli loco laudat illud: μείζονος πράγματος καὶ ἐλάτ-
 τονος



τῶν μεταξὺ, αὐξήσεως καὶ Φθίσεως. Ex quo exemplo intelligitur, quid sibi velit Plato cum illis γενέσεσι; innuit, ut opinor, nihil aliud, quam viam atque rationem, quā contraria ex contrariis fieri gigni que possint, ut & ex *Olympiodori* explicatione patet: ille enim ad S. XV. ἐκ τῶν γενέσεων αὐτῶν καὶ τῶν ὁδῶν, εἰ γὰρ αἱ ὁδοὶ μετὰβάλλουσιν εἰς ἀλλήλας, οἷον ἡ λευκανσις εἰς τὴν μέλανσιν; πολλῶν μᾶλλον καὶ γὰρ γένη μετὰβάλλουσιν εἰς τὰ ἀλλήλα, οἷον τὸ λευκὸν καὶ μέλαν. Concludit igitur, ut dicunt, a minori ad maius: dealbatio enim & denigratio, quae sint ὁδοὶ siue γενέσεις *albi* & *nigri*, quum mutationem mutuam subire possint; quanto magis γὰρ γένη, i. e. effecta, *album* & *nigrum* ipsum. Similis ratio est, prioris exempli: γενέσεις τῶν μείζονος καὶ ἐλαττονος erant αὐξήσεως & Φθίσεως: ratio enim atque via, qua maius ex eius contrario, minori gigni effici que poterat, nulla alia quam αὐξήσεως erat: nisi enim pauca siue parua augmentur, in aliquam insignem magnitudinem excrescere nequeunt: maiora autem neutiquam minora effici possunt, nisi Φθίσει i. e. Si quid ab hac magnitudine demseris. Hic, nisi fallor, sensus est huius subtilis enuntiationis. Iam progreditur ad institutum suum; vitam atque mortem, duo disiuncta, eidem mutationi exposita, dicit: ex vivente fieri mortuum, & vice versa. Ut se autem, sequacesque suos, ex illis tricis, quomodo fieri possent ex mortuis viuentes, expediret; confugiendum illi erat ad instituta *Pythagorae*, *Orphei*que, animos esse ἐν ἅδῃ, indeque reuerti, & migrare iterum in corpora; γενέσεις igitur quum indagat; alterius ὁδὸν esse dicit τὸ ἀποθνήσκειν; qua via inuenta, alteram, nisi natura quasi claudicare debeat, quod vnam hanc exceptionem faciat, residuam esse γένεσιν ἐναντίαν τῷ ἀποθνήσκειν, nempe τὸ ἀναβιώσκειν, reuiuiscere: itaque reuiuiscenciam rationem atque viam esse, qua fieri possint ex mortuis viuentes, & τὸ ἀποθνήσκειν efficere ex viuentibus mortuos: quod ut probaret, necesse esse dicit, animos mortuorum esse πᾶσι. (S. XVI. extr.) Haec omnia tam certa esse credit Plato, ut, si omnia morti obnoxia, manerent sic constituta, ut non reuiuiscerent, necesse sit πάντα τεθνήσκειν καὶ μηδὲν ζῆν. Sed haec argumentatio eo sensu,



sensu, quo *Plato* eam accepit, nequaquam probabilis est; nam aliquid medium esse, (tertium dari vulgo aiunt) quilibet intelligit: non tam ad incitas redacti sumus, ut, nisi his dictis assenserimus, naturam rerum dissolui credamus. Quod si & haec vera esse darentur, hanc mutationem tamen ab omni aeternitate fuisse, nisi quis sibi ipse repugnare velit, nunquam demonstrari posset: Seriem enim rerum finitarum infinitam statuere, rationis legibus aduersatur: & si datur principium animorum, ut certe dandum est, numerus animorum ab initio admodum paruus fuerit, ut ex propagatione hominum liquet, e manuque Dei prodierint necesse est. Vnde igitur tam infinitus numerus animorum, qui nunquam fuit ab initio in corpora illabi potuit? nisi animos aeternos, et infinitae multitudinis esse statuas; quod esset absurdum. Ex sententia autem Socratis, prius ex aliis corporibus excesserunt, quam in alia redirent. Non autem mutationis eiusmodi principium statuere, etiam si illam fieri posse demus, esset, ut opinor, absurdum. Quum igitur Socrates sibi videtur probasse, ex mortuis fieri viuentes; demonstrare etiam tentat animos, antequam in corpora detrusi fuerint, iam exstitisse, ἐκ τῶν γὰρ μαθήσεις ἀναμνήσεις εἶναι, ut notat *Olympiodorus* ad S. XVIII. Sed idem & profitetur, nullam harum rationum probare animi immortalitatem; ideoque & alias proposuisse. Sed quomodo ex reminiscencia προῦπαρξις animi intelligi possit, sic se habet. Principii loco ponit, omnem μαθησιν siue ἐπισήμην, ut paullo post loquitur, esse ἀνάμνησιν, ut et in *Menone* contendit (p. 538. ed. Bas. ἡ ψυχὴ ἀθάνατος τε ἔσται, καὶ πολλὰ κίς γεγονυῖα, καὶ εὐρακῦια καὶ γὰρ ἐθάδε, καὶ γὰρ ἐν ἄδῃ καὶ πάντα χεῖμαλα ἔκ ἐστὶν ὅτι ἔμεμάθηκεν &c. Si quis autem alius cuius rei recordetur, illum oportere eam iam antea cognouisse; deinde, cum aliquid audierit aut viderit, non modo illud ipsum cognoscere, sed & aliud quiddam, cuius alia sit scientia; quod sic illustrat: etsi alia scientia sit hominis, alia lyrae; tamen euenire posse, ut amantes, cum lyram, vestem aut aliud quid aspexerint, simul mente formam puellae recolere possint: & hanc esse reminiscenciam, siue recordationem, eoque etiam res, quas

obliuioni



obliuioni iam tradiderimus, pertinere. Recte. Quam reminiscenciam quum a similibus, tum a dissimilibus rebus prouenire posse, euicisset exemplis, quaerit, an, cum alicui a similibus re- deat in mentem aliud, non necesse sit, insuper considerare, an dissimilitudo sit in hoc ac illo, cuius repetita memoria est? Quo concesso, cognitionem $\gamma\delta\ \iota\sigma\gamma$ ex eo nos consequi docet, quum v. g. aequalia saxa conspicati, cum illo $\iota\sigma\omega$ f. aequali, quod ab aequalibus rebus in rerum natura differre ait, compararemus. Aequales res igitur, quae quidem sic videntur in rebus concre- tis, differre ait, ab *aequali*, quod notione abstracta intelligitur: omnino res enim, quae speciem aequalitatis habeant, referri debere ad $\gamma\delta\ \iota\sigma\omega$, quod tanquam aliqua norma, ad quam res aequales exigi debeant, sit considerandum. Aequales autem res, quae accurate $\gamma\omega\ \iota\sigma\omega$ respondeant, esse negat. (S. XIX. p. 143.) Antequam autem nati fuerimus, nos iam cognitionem, $\gamma\delta\ \iota\sigma\gamma$ habuisse: quod illa aequalia, quae sensibus perciperemus, ad illud $\iota\sigma\omega$ referremus; quamquam non ad eius (f. $\gamma\delta\ \iota\sigma\gamma$) per- fectionem accederent: & non solum de aequali, sed & de pul- chro, bono, iusto &c. nos praenotiones ante ortum nostrum ha- buisse. Nisi animum obliuio rerum perceptarum caperet; do- ctos nos nasci potuisse; scientiam autem, ante quam nascere- mur, amissam, posteaquam sensibus vti externis possimus, ite- rum nos recuperare. Quare, cum scientiam nati non habue- rimus, sed antea; necessario sequi, animos, priusquam corpo- ra induerentur, seorsum a corporibus fuisse. Et hanc dimidiam demonstrationis partem putat (S. XXIII.) Socrates, se quidem ostendisse, animum, antequam nasceremur, exstitisse; sed reliquum esse, vt, eum & post mortem viuere euincat. Quod sic effecisse putat: quodsi animus ante quam nasceremur, fuit, & posteaquam se corpori iunxit, nostram constituit naturam; necesse esse, eum non aliunde, quam ex mortuis proficisci: li- quere igitur, eum post mortem etiam manere, quum ad hanc vitam debeat reuerti. Haec pluribus explicauimus, vt vis ar- gumenti eo melius intelligi possit.

b 3

Sed



Sed his vera falsis sunt admixta, & quaedam admodum obscura, quae quantum potuimus, clariora reddere tentauimus. Quod attinet ad *πρὸς παρὰ* animi; neutiquam haec sententia ferenda. Nam primum ex hac sententia animus vel aeternus sit, quod legibus *Metaphysices* repugnat; vel, quod infinitas in eum non cadit, origine n suam alicui auctori summo debeat, necesse est: quod si ita est, fit, vt, quod corpus necessariam hominis partem constituit, ille non extra corpus fuisse potuerit: illum autem non in alio corpore inclusum fuisse, repugnat sibi, vel propterea, quod animus perfectionibus eximiis instructus, quum e corpore exiret, in corpusculo, in quod rediret, quasi repuerasceret, & denuo iterum se fingeret formaretque. Quae omnia a vero absona sunt. Sed audiamus rationes, quibus id demonstrari posse, sibi aliisque persuasit. Principii loco ponit, *μάθησιν* esse *ἀνάμνησιν*; quod minime est probabile. Nam etsi non absurdum est dicere, notiones iam adesse in animo, easque legibus quibusdam excitari; longe probabilius tamen est statuere, vim modo, facultatemque notionum percipiendarum, animo inditam esse (v. *Ven. Crus. Log. S. LXXXIII.*) Quare, si quam cognitionem rerum, non a doctrina aliorum profectam habemus; eam notionibus communibus, animo innatis & quasi infixis debemus. Illam autem non reminiscentiam dici posse, facile intelligitur. Nam, si ita ad animum recurrunt simulacra pristina rerum, vt ea iam esse olim obuersata animo agnoscamus tum demum reminisci dicimur. Vim reminiscentiae & certe Socrates iis rebus subiicit, quae, praesentibus animo rerum imaginibus quibuscunque recurrunt & redeunt ad animum, siue sint praesentibus similes nec ne: sed subtilis illa disputatio de *aequali*, cuius notionem iam antequam nasceremur nos dicit habuisse, quod res similes siue aequales ad hoc *ἴσων* referremus; inanis est. Nam quod inde probare tentat; nos, quod cum nasceremur, cognitionem *ἴσων* non habuissemus, attamen, omnia, sensibus instructi, ad illud *ἴσων*, tanquam normam, examinaremus, ante ortum nostrum existitisse, falsissimum est. Nos exigere non modo

rerum



rerum aequalitatem sed & honestatem, pulchritudinem &c. ad notiones quasdam communes, quae nunquam fallunt, verissimum est: sed inde non sequitur, illas notiones, animumque simul ante ortum nostrum adfuisse. Alteram partem argumenti Socratici, animos post mortem immortales esse, quoniam praesistentia animi nititur, nihil attinet refutare: priori enim argumento confutato; & eius altera pars sponte sua corrui.

Sed modum teneamus, & reliquam partem argumentorum Socraticorum, alio tempore examinemus: dicendum est enim, aliquos disciplinae meae alumnos sollertes & probos velle palam vires in arte dicendi periclitari; quorum nomina hic infra scripsi:

- I. CHRISTIANVS GOTTHELF EHRENHAVS. *Gelen. Misn.* iuuenis ingenii felicis, qui Academicis doctoribus operam dare apud animum constituit. Praemissa orat. lat. *de iucunditate ex conscientia benefactorum capienda*, Patronis suis carmine vernaculo gratum declarabit animum.
- II. CAROLVS CHRISTIANVS DRECHSEL. *Scharfensteinens.* orat. lat. ostendet, *studium de salute hominum bene merendi, in maxima laude poni.*
- III. CHRISTIANVS GOTTLIEB STOPP. *Annaberg.* gallice *de vera gloria* dicet.
- III. CHRISTIANVS GODOFREDVS MVLLER. *Zoeblicens.* carm. her. probabit: *Concordia res paruas crescere, discordia maximas dilabi.*
- V. SIEGFRIED LEBERECHT FLEMMING. *Neodorp.* carmine vernaculo tritum illud: *Fugit irreparabile tempus*, explicabit.

VI, CA-



VI. CAROLVS AVGVSTVS OESERVS. *Pratoual-*
lenf. orat. latina, *de tuta silentii mercede*, habita, Candidato
 Academiae humanissimo, nomine Commilitonum gratula-
 bitur.

Quas declamationes vt EPHORVS SVMME REVE-
 RENDVS atque EXCELLENTISSIMVS, Scholae IN-
 SPECTORES GRAVISSIMI, vt et reliqui bonarum litte-
 rarum PATRONI, benevole audire velint, rogo obsecroque.
 Scripsi Annab, d, XX, Octobr. A. R. S. clō 1ō cē LXV.

